16

23

PROPHETIA
DE DIE NOVISSIMO

noviſsimis hiſce temporibus manifeſtando; item de exciſione Eccleſiæ & Redemtione Ex inferis.

Verbum Dei *A Dominâ Eleonorâ*, Legato Luſitaniæ in *Anglia reſidenti.*

Ego ſum A et ω Principium & finis.

MATT. 17. 11.

Elias quidem veniet prius, & reſtituet omnia.

LONDINI,
Excudebat *Tho: Paine*
1644.

PROPHETIA

Ego ſum Primus & Noviſsimus
Principium & Finis *Verbum Dei*

A Dominâ Eleonorâ Legato Luſitaniæ
in Angliâ reſidenti.

Heros Nobiliſsime,

PRæſentiæ tuæ ornatus in hâc inſulâ & Perſpicuitas futurorum quæ jam impleta ſunt, & olim in Pathmo per Angelum revelata è quatuor evangeſtis ultimo hanc in me creant audaciam, *Pretioſam illam Pyxidem eburneam diſſolvendi* imminente jam

fine et ultimâ judicij hora.

Tria argumenta, è quibus (quanquam Scriptum sit) *horam & diem istam nemo novit, non filius ipse, sed Solummodo Pater*; hoc tamen non obstat quin *mensis* vel *annus* predici possint: Simile responsum ante datum illis. *Quid rogetis, penitus ignoratis. Non est meum dare, ut a dextrâ vel sinistrâ, patris sedeatis.* Quasi diceret, *in primis quærite Regnum cœlorum*; etiamsi Paritter cum *Johnne Baptizaremini*, qui mei præ nuntius *de meo bibit poculo*; tamen manere usque ad meum adventum, & non videre aut gustare mortem impossibile.

Proinde de die judicii ante revelato hæc sequentia sunto tam novo quam veteri Testamento comproba-

ta, *Dan. 7. ubi Daniel verba enim tua*

usque

usque ad præstitutum tempus diei ultimi signata sunt, et quasi inclusa tabulis, Dan. 12. Et Johannes jussus *Summere apertum, in Angeli manu librum, et unà edere* sacramentum secundi adventus Domini, ut prædiceret illum; id quod ex iracundiâ gentilium apparet; *& iratæ sunt gentes, et advenit ira tua et tempus mortuorum judicari*, *Apoc.* 11. Nec minus Satan pro virili operam navat, *temporis sui brevitatem sciens*. Quamobrem tanto utitur furore adversus Mulierem, quia inde nobis arbor vitæ, semen illius, &c. Adeo horrent sustinere probam gentes; ut ex altera parte unanimi voce, *postquam septem Angeli tubis suis cecinerunt, seniores illi dicentes, Gratias agimus tibi* Domine.

Est & alia circumstantia quæ non

de nihilo myſterium Numeri iſtius Sabbathici quod paucis hic intenditur, inſtar parui et breviuſculi illius libelli. Temporis enim Myſterium non parvi eſt momenti.

Itaque de ſeptem ſtellis primum in dextrâ Antiqui dierum quæ alibi ſeptem Angeli Eccleſiarum appellantur, exhortans illos ad vigilandum pro ipſius adventu ſive reditu, juxta computum Eccleſ Anno Domini, &c. Non proinde ſeptem illi Buccinatores ſi Temporis alati vox ultima clamaque atque ſic pretioſi Tempo clepſydra aurea ad finem delap eodemque ſpectant phialæ aur verſæ in terram, ſeptem noviſſi plagis ſeu irâ dei impletæ; diei ju præcurſores: abſque dubio ſig

can

cantis. *Annum Domini Milleſimum ſeptingenteſimum* Tempore tunc locum ceſſuro æternitati; uti variè ac diverſimodè eſt expreſſum inſuper per cœleſtes aureaſque zonas illi circumcinctas, putá tot centurias fixas et determinatas.

De hoc arcano finis ſeu periodi ultimæ antequam adveniat prædicendæ hæc hactenus dicta ſufficiant, quamvis multò plura adhuc addi poſſent. Summa ſive ſubſtantia illorum *Apocal. c. x.* per Æternitatem, ipſam *Dominum Sabbathorum* tam Solemni jure-jurando cum ſit firmata per geſtum loquentis idem ad occultum quod pervocem leonis ad aurem intonans, *per alterum pedem poſitum ſuper mare, alterum ſuper-terram, cum manu levatá ad cœlum, jurans per viven-*

viventem in secula seculorum qui sex dierum spatio creavit cœlum & ea quæ in eo sunt; & terram et ea quæ in ea sunt, & mare & ea quæ in eo sunt, quia tempus nonerit amplius, sed in diebus vocis septimi Angeli, &c. consummabitur Mysterium Dei. Una Septimana idem ac si dicas sex mille anni, prorsus unum idemque coràm Domino, cujus Apostolus Petrus mandat, *ne lateat nos hoc ipsum quod mille anni sicut unus dies apud illum.* Atque tandem hâc cavetur conclusione, quod *si quis vel si quæ natio apposuerit ad hæc, vel diminuerit de istis* (tempore nimirum præfixo) jurejurando antè testatis, cum diceret etiam venio cito, *omnes plagas terra marique in illo libro Scriptas portionem fore illorum,* quippe qui non sint digni alîus ut fiant participes.

Veni

Veni Domine Jesu.

Hæc in testimonium contra illos contraque gentiles qui venit in propria, et sui non receperunt eum. Putà secundum ipsius adventum ante revelatum reiiciendum per ecclesias Gentilum.

Ego Sum A et &.

Jam verò postquam Angelum septimum temporis indeterminati typum esse demonstrationis ad amussim factâ quádam intermissione comensuremus per cubitos numerum duodecies ductum in duodecim annum nempe *Domini* 1644. Et jam vera sequitur horum verborum interpretatio. *Tabernaculum Dei cum hominibus.* (*Apoc.* 21.) Sicut enim in cœlo *Sol* tanquam *Sponsus Tabernaculum* positum habet, &c. (*Psal.* 19.) Sic quoque *Luna, sponsæ* comparata, suum *Tabernaculum.* Vnum *Mosi,* alterum *salvatori* nostro tertium *Eliæ.*

demonstra

Argumentum. II.

SEcundum Argumentum eſt de Gentilibus, quibus nec ipſis parcitur quin fractioni Sint obnoxii; quo non obſtante certa atque vera promiſsio illa de ipſorum perpetuitate quod nec portœ inferorum prævalere debeant adverſus eccleſiam; & quamvis diſponſati ſigno Annuli in perpetuum, Arcûs nempe in Nubibus in Teſtimonium ibidem exiſtentis: juxtà ſalvatoris noſtri ipſius pronuntiatum ſenſui, & menti ejus exprimendæ apprime commodum in caſu viduœ cunctatæ figurantis deſolatam eccleſiam ipſius; *veruntamen filius hominis veniens, putas inveniet fidem interra?* quaſi dicat omni authoritate

ritate & qualibet loco fides per ſe-
cutîonem ſubibit non obſtantibus
diebus uindictæ præcurſoribus mei
adventûs prædicti vel ante revelati
ab ipſa creatione uſque inauditis.

Et quantum ad dies illos ultimos
fide deſtitutos Gentium Apoſtolus
ait expreſsès. *Alioquin et tu excideris, ſi
non permanſeris in bonitate ; ſienim
Deus naturaliter ramis non pepercit, ne
fortè ne tibi parcat juſsi altum non ſapere
ſed timere,* ne ſorte ſummi eorum ſa-
cerdotes, & Sabbathi pariter abo-
leantur.

Siquidem obſcuræ reliquiæ ſuf-
ficiunt uti in diebus Eliæ Prophetæ.
Septem mille, & in deſpectum poten-
tiæ hoſtium ſuorum quantovis nu-
mero plurium non opus habeant
vereri: quantillus etiam ſit Nume-

rus istorum a parte Dei.

Satiùs enim, lapis molaris pendens ad collum ipsius, quam gemmæ ornatus *cum offensione pavulorum*; & *hi duo* insuper in *testes* contra Gentiles Daniel propheta & discipulus ille jussus præmonere ecclesias, &c. Vti *Dan. 2.* planissimé significans Gentiles revolutos ad lutum, uti apparet per *pedes illos testæ ex luto comminutos imaginis ex omni parte Armatæ luto & ferro sibi non cohærentibus Dan.* Id ipsum quoque in Apol. insinuatum; Tota nimirũ, Europa adorans falsũ prophetam in Diebus noviſsimis; uti per *fœminam Europœam sedentem super apus*, elevatam supra septiciptem Bestiam, ad instar jovis, *plenam titulis seu nominibus Blasphemiæ* velatam licet Semiramide Babylonis Reginâ matre

matre; tamen veram Europæ tabulam & non Asiæ; Magnæ Ecclesiæ effigiem, ad ethnicismum, relapsam: ut in diebus illis ante primum salvatoris adventum, ita & ante secundum; eadem utrobiq; fides interris.

Et ab hinc & a praxi istâ Antichristianâ Tot oriuntur schismata, tamque confusa rerum facies inter nos hodie, res quæ mirari non debet, in extructione *Novæ Sionis*; etiamsi *superbæ Babelis Turres*, aliaq; erecta, atque ita & destructio *Babelis* reversa: uti Deus dicit: Descendamus, dividens tunc operarios illorum: quod *in alios* nunc cadit putant absq; ipso perficere opus.

Et fugiens ambages verborum, de hâc mutatione Sabbathi Sapienti scribo, *non novum mandatum, sed ve-*

tus

tus illud ab antiquo obſervatum, *ſeptimum* nempe *diem* ab ipſo mundi *primordio*. Præmonſtrans mutationem temporis in æternitatem, *uti tres in Coelo, ita & tres in terrâ*. Et quicumq; negat unum ex illis, negat & alterum, imò omnes. Nulla dierum differentia; modò ſeptimus dies celebretur; juxta verbi Dei præceptum.

Ea propter denuò electus primus dies ſeptimanæ, cui Nomen Dies Lunæ, in Feſtum Nuptialem Eccletiæ.

In cujus Tertij ſabathi probationem diſcipulo illi qui in deſcriptione *Novi Jeruſalem ponit lumen illus deſcendens de Coelo*; innuens hoc novæ Lunæ Feſtum, ſive Sabbathum Diei Lunæ, jungi debet teſtimonium

um Esaæ Prophetæ, testis oculati, dicentis, *Ego vidi Dominum*, &c. absque dubio à primo illius adventu ad ultimum, conspexit gloriam ejus: *ubi Seraphim stantes, utrique alæ sex; duabus velabant faciem ejus, & duabus velabant pedes ejus; & duabus volabant (ne pro Sabatho præsenti) Clamans alter ad alterum, sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus exercituum.*

Et Propheta linguâ sabbathi utens conqueritur, *se abscissum in medio populi polluta labia habentis.* Præter istas claras voces de quarto hoc præcepto quartus Evangelista ita testatur: *De quatuor animalibus alatis, requiem non habentibus die ac nocte, dicentibus,*

tibus, ſanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus Omnipotens, qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt: ubi ſolemnis illa requies depicta: omnes ſedentes circa Thronum: omnes unanimi voce concludentes, *propter voluntatem tuam omnia creata*: Ita in ſignum gratitudinis Unus dies feſtus obſervatus in Septimanâ.

Et de reliquis abolitis, pollutis & profanatis ab Eccleſiâ Anti-Chriſtianâ, ſic aiens; *Qui adorant Beſtiam requiem non habent die ac nocte.* Si nulla requies, ergò nec dies ſabbathi. Concordat Numerus ejus requiei neſcius, ſexenarius ter poſitus, Character Sabbathorum ipſius.

Beſtia ab ſimilis Agno ſeptem oculos,

los, septemque cornua habenti: Characterem solis atq; Lunæ: ubi *Anno Domini* 1700. significatur; simulque Sabbathi isti tunc ad finem perducti.

Et locus illustrans locum, uti dictum illud. *Ecce nova facio omnia* non parum lucis affert ad hanc rem, quod Dies Lunæ foret ipse ille dies Benedictus pro requie designatus: *Ubi novum Jerusalem descendens de cœlo* planè id ipsum evincit: sponsa illa Virginea, cujus splendor talis: non egens ullâ aliâ luce ad lucendum nisi claritate septem oculorum & cornuum Agni, præter Verbum Dei, Lumen Luminarium, significante Diem solis & Lunæ, quorum nomina derivata à Luminaribus, illis coeli, uti reliquorum planetarum Martis & veneris, &c. nonnisi ab

hominum figmento. Et Vesper dierum nunc præsens: Et qui primus dies septimanæ olim, nunc factus ultimus; quamvis hactenus portare æstum & pondus, nihilominus nunc licitum operari & portare pondus illo die, tamdiu figura sponsi illustris. nunc locum dat Lunæ typo Ecclesiæ, significanti cornu ipsius exaltatum in æternum. Ita concludens ista cum illo, *Beneditus qui servat ejus mandata, ut possit intrare per duodecim portas*; quorum, ut sensum promam, una est ipse mensis januarius, tunc nempe adventus illus Regis nempe gloriæ: Annus Lunaris finitus.

Atque ita declarans quod & ipsa soror ipsius atque socius celebravit hunc novum spiritualemque diem,

pariter

pariter atque ille obſervavit ſolitarium illud Sabbathum in *inſulâ Pathmos, qui erat in ſpiritu in die Dominicâ.* In hâc inſulâ tertium hoc Sabbathum requiei dicatum ab ipsâ ſola & paucis aliis ipſi aſſociatis, captivis nempe & aliis claudis & cœcis neceſsitate adactis requiei dicare unum quemque dierum. Atqui nunc verum necné hoc denuo completum inter nos quod olim in civitate Ieruſalem, omnium offertur conſiderationi: ſicut accidit ingratis illis hoſpitibus invitatis & nuntiis ad *illos* miſſis poſteaq; exercitibus ſuis miſsis ad illos perdendos, atque tunc *claudis atque coecis ad convivium ipſius admiſsis*; illo verò abſq; veſte ſive togâ Nuptiali in tenebras exteriores ejecto, ne ſolem vel Lunam videret amplius.

Ego ſum Alet & Ter-

Tertium & ultimum Argumentum.

ESto ſententia iſta irrevocabilis, *viz. Ite maledicti in æternum ignem, illudque peccatum in ſummo gradu comiſſum neque hoc neque futuro ſeculo remiſſibile,* ex inferno tamen *Redemptio.* Eſto itidem, *periculum ipſorum præter opinionem majus eſſe, tenebraque illas exteriores fore perpetuas, vermemque immoribundum,* non tamen exinde ſequitur cruciatus illorum nullius eſſe remedii capaces, vel infinitos, aut ad inſtar ignis infernalis, licèt ad ſpatii terminum ſint gratiâ iræ numinis divini ſufferendæ incarcerati, donec exinde reprugati Identidem divino durante beneplacito conceſſo aut etiam revocationis poteſtate, *viz.*

In

in Secula seculorum, phrasi illâ sacræ paginæ iterum aquæ iterum iterante, ut, *Fœdus meum in carne vestrâ fœdus in æternum* (*Gen.*) Hujus tamen populi tandem repudiati fœdus erat cancellatum, Sabbathumque eorum, signum quondam dictum æternum, abolitum, & ex terrâ illâ, sibi suisque multoties promissâ & in æternum assignatâ, tandem fuerunt exterpati.

Alio quoque confirmatur testimonio, factum illud postea revocatum fuisse, *viz.* (*Sam.*) *Loquens locutus sum, ut domus tua, & domus patris tui ministraret in conspectu meo, usque in sempiternum: Nunc autem dicit Dominus, Absit hoc a me.* Pæterea de

Restitutione satis liquidum extat testimonium (*Luc.*) *Non exibis inde, donec etiam novissimum minutum reddideris*; Ex quo colligitur, nullam esse liberationem ex Inferno, priusquam ultima periodus elapsa fuerit.

Purgatorium autem illud, vulgò creditum, falsum esse necesse est; Si enim digitus illorum dolores aut cruciatus ullos tangere non potest, multò minùs igitur locus talis ipsis paratus aut destinatus est.

Ad ampliorem confirmationem hoc habeas, viz. *Et elevans oculos suos, videbat ipsum* quasi *in Æternitatis sinu sedentem; erat autem inter illos* locus, portui obstructo vel præcluso similis, qui nomi-

nominatur *Spatium aut Chaos firmatum*, re ipsâ nihil aliud significans, quam præfixum temporis spatium, aut tempus determinatum. Sic quoque *guttam*, modum alicujus moderationis significantem, *a digito ipsius petebat, & ut quinque fratribus suis*, (omnibus cum muneribus spiritualibus & temporalibus fungentibus) *præmonitio* aliqua quam brevissima, priusquam ultimus dies instaret, *per quemquam*, etiam infirmæ sortis, nuntium *mitteretur, orabat*. Mendicum autem illum non ex vulgo, sed ex Prophetarum ordine fuisse, apparet cui non habebatur finis, donec erat nimis serum. Hic autem per allegoricum illum morbum tam squalidum querimoniis & ulce-

ulceribus ſociatum, ultimi immiſericordis ſtatus repreſentatur, & quo pacto petentes & ſupplicantes, ex tædioſæ expectationis langore confecti, tandem rejiciantur & excludantur: Hic etiam incluſivè mundi ætas (vel temporis generatio) quinque mille annos complet, vir autem ille in inferno cruciatus, ſextum, donec ultimum minutum ſolverit.

Perpendite itaque vos prudentes & divites hujus mundi & pro conſolatione veſtrâ aliud hujus quintæ eſſentiæ vel moderationis granum accipite, quod tantum ſpei, quantum ſat erit vel in perditiſsimo ſtatu, aut plus etiam, ſi quid amplius quam tranſitus Elephanti per foramen acus aut tale quid hujus generis, eſſe poteſt,

in his benedictis & fidelibus imponit verbis: *Beatus & sanctus, qui habet partem in resurrectione primâ, in his secunda mors non habet potestatem.* Sequitur ergo secundum esse resurrectionem.

Cùm sit igitur potestas illa revocationis in manibus Dei, valentis revocare captivitatem eorum, & si secunda mors sit tantùm mors, tandem beatierunt; *Salvus enim erit si dormierit*: quod intelligendum est de quâque hujus mortis genere, &c. Et secundum Scripturæ testimonium, *Satanas* quoque, maledictus super omnes, *cum consummati fuerint mille anni, de carcere suo solvetur. Apoc.* 20.

Et infidus Judas, quamquàm maledictus fuerit in nativitate sua insuper, secundum hoc dictum,

Bonum fuisset illi homini, si nunquam natus fuisset; veruntamen non extendit hoc ad frustrandum & excludentum eum ab existentiâ aliquâ: Sed tantum est, ac si dicas; si homo ille non perveniſſet ad ætatem virilem, melius ipsi fuisset, & absque dubio non fuisset filius perditionis.

Et quemadmodum una parabola explicat alteram, sic ista de *filio illo perdito & reperto, &c. Luk.* 15. inveniente magnum favorem; cum etiam longè esset, quæ cùm aspiciat omnes ejusmodi filios perditos alonginquo; etiam habet quod dicat aliis, qui dum nullâ indigent re, & benè se habent, non curant aliorum casum, sicut inhumanus ille frater, cui dicebatur; *Fili semper mecum es, &c.* Sic quoque procul dubiò multi hodierno

dierno tempore dicent, *ad quid perditio ista tam pretiosi ungenti*, & similiquoque invidiâ repleti indignabuntur ob memoratam istam moderationem vel mitigationem, promittentem restitutionem fratrum suorum; & partim quod res tanti momenti in lucem proferatur per *mulierem*, in quâ viri maximè incauti suique immemores non perpendunt illud, quod allegatur de duobus debitoribus, *viro* scilicet *& muliere*, &c. *Luc.* 7. quasi diceretur, *ô ingrati viri, qui credunt, sibi parum remissum esse.*

Sic itaque *mulier* debitum illud, quo vobis sexus isse obstrictus fuit, resolvit, annuntiando, *quod* (teste arbore vitæ) *æterna vita omnibus restituenda sit*, & nihil per mortem amittatur. Tam æquus est Deus in hâc, vi-

volens, ut per eundem sexum primo deceptum, reditus sit omnium ad pristinum statum suum fœlicem, quemadmodum illi *ab ignitis serpentibus percussi*, aspiciendo talem hujus generis, *sanabantur*: propterea etiam *mulieris semen* preferebatur ad congrediendum cum *serpente*; & *mors* quoque veniens ex esu vetitæ arboris, *restituta fuit in his verbis*: *Accipite, edit hoc est corpus meum*, quod erat salvatoris nostri Testamentum ante mortem: sic itaque *arbor vitæ, vera vitis*, reparat delictum illud, quod exortum erat ex arbore scientiæ boni & mali, orans simul, remitte ipsis pater, nesciunt enim quid agant, non enim coronassent arborem vitæ coronâ spineâ nisi fecissent id ex imprudentiâ & ignoratiâ; Propterea etiam ad expansa ejus brachia,

chiai, tanquam ad certum asylum confugiunt, ubi verba hæc pronuntiata fuerunt, *hodiè mecum eris in Paradiso*; Iste autem terminatus dies sinimat alium quoque diem pro aliis, viz. diem requiei pro istis ad sinistram suam: & sic oratio ejus extendit non solum at manipulum hominum ut ita dicam, sed ad totum mundum, qui (non instar hederæ illius, quæ in unâ nocte exorta fuit, & in unâ nocte periit) jam sex mille annis a creatione duravit; Civitati autem illi propter sexaginta millia, *nescientium quid sit inter dextram & sinistram suam* parcebatur, & misericordia exhibetatur (Ionâ ob vermem & civitatem conservatam irato & impatiente:) Nonne igitur etiam in eodem casu, ubi sunt tot millia

120000

lia

lia millionum ejuſdem ſortis, & quaſi neſcientium, quid ſit inter juſtum & iniuſtum, miſericordia aut benedictio aliqua reſervata eſt, quorũ ignorantia derivata eſt a primo delicto primorũ parentum ſuorum, deceptorum in ſtatu infantiæ & innocentiæ ſuæ, & arbitrantium, quod ea, quæ faciant ſecundum conſilium ſibi datum, non niſi bona ſint?

Qua propter omnes ejuſmodi duræ & rigidæ ſententiæ in Evangelio extantes (ut proverbium illud, de filiorum dentibus ob delicta patrum obſcupeſcentibus, abolitum) hîc cancellatæ & ſublatæ ſunt.

Neceſſe autem erat huc uſque ut in reſpectu gratiæ tantoperè abun-

bundantis, verba quoque minantia ac terrentia ad ſupprimendam arrogantiam & præſumptionem abundarent; ſicut in his benedictis verbis, in monte habitis, oſtenditur, quantam perfectionem in cogitationibus, verbis & factis lex requirat, quòd ſcilicet, *ille, qui ſiniſtro aliquo nomine appellaverit fratrem ſuum, aut famam ejus læſerit, cædis reus ſit; Et qui inſpexerit fæminam, &c. eidem periculo obnoxius ſit; cui factum; Et qui ullo modo iuraverit, tranſgrediatur præceptum illud, vetans uſurpare nomen Dei temere; Et habens duas togas, teneatur impetire alteram,* & ſimilem in omnibus perfectionem. Similiter quoque impoſsibile eſt homnibus

bus comprehendere omnem Dei bonitatem, daretur enim ipsis arrogantiæ occasio, nisi simul rigor legis ostenderetur.

Propterea *secretum illud de ultimo die usque ad tempus statutum signatum est.* (*Dan.* 12.) ut nemo debeat differre pœnitentiam.

Deo sit gloria in secula, quoniam ex ipso, & per ipsum & in ipso sunt omnia.

1644. *Festo Nativitat.*

FINIS.